

**1984-07-27 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Ut Ecclesiae Ipsius’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***UT ECCLESIAE IPSIUS***

**NUNTIATURA APOSTOLICA IN INSULIS  
SEICELLENSIBUS CONSTITUITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Ut Ecclesiae ipsius, quae Christi caritate nullam non prosequitur per orbem gentem, regimini illis in locis certius quidem pleniusque prospiciatur, Nos qui suprema et immediata atque universali in curam animarum ex divina institutione gaudemus potestate, tempus iam adesse censemus ut, inchoatis iam feliciter mutuae necessitudinis rationibus inter Apostolicam Sedem et Rem Publicam Insularum Seicellensium, eadem in Civitate iure constituatur Nuntiatura Apostolica, unde Catholicum nomen radices firmiter agere in posterumque convenienter prosperari possit. Hanc igitur ob causam, rebus singulis funditus perspectis ac perpensis summa auctoritate Nostra hasce per Litteras solito more datas Nuntiaturam Apostolicam in commemorata supra Re Publica Insularum Seicellensium erigimus eidemque officia ac privilegia necnon indulta deferimus universa quae talium sunt Legationum Pontificiarum propria. Haec ita profecto decernentes statuimus ut Apostolicae hae ipsae Litterae vim exserant suam et nunc et deinceps, contrariis quibusvis rebus neququam obsistentibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Iulii anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*